

ua praedia quis-
[que:
a peredit
e campis:
domestica facta,
locuere parentes
entus agello.

SUS SOFIA-ALESSIO.

O ACCEPTI

Arabie occiden-
1er Volume: Le
HENRI LAMMENS,
ontificii Instituti

s: CORPUS SCRIP-
ANUM moderante
I. B. Paravia et

us de Oratoribus.
pendice critica et
Carolus Wick. —


ermanorum liber.
Aesini recensuit,
aldi. Appendicem
k Scriptorum Ro-
eribus testimonia
Pascal. — Ven. li-

II. Ad fidem co-
efatus est, appen-
timus Lenchantin
4. Ad fidem codicis Ne-
dit, praefatus est,
Dominicus Bassi.

I, Sponsor.

TIS VATICANIS.

ALMA ROMA



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Castejnuovo di Carfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gaillicano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferriao - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Souef, Bibeh, Dessouf, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
 pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.

Premium annua
 doll. 2,40;
 rem, Roma

IN

aedibus

- Arezzo - Ascoli
 - Benevagienna -
 piglia Marittima -
 di Carfagnana -
 di Castello - Colle
 Figline Val d'Arno
 Chianti - Gallicano
 - Luserna S. Gio-
 nateleone Calabro -
 Oneglia - Orbetello
 gnano - Pontedera
 o - S. Maria degli
 Torre Annunziata

ch in Hispania -
 Lazar, Beni Soueff,
 Ait Gamr, Zagazig
 ria - Gerusalemme
 Minore - Rodi in

ae sunt. 

ociis

enum dantur,

m, Milesiae
 s. - Singulae

Si tegu-
 lib. 3.

ones drama-

ula. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (fr. 12;
 doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI docto-
 rem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. 

BENEDICTO XV P. M.

IN DIEM III MENSIS SEPTEMBRIS MCMXX

SEXTO ANNO EXEUNTE

EX QUO PETRI SOLIUM ASCENDIT

PRO AUSPICATA IN ORBE PACE.

*Mars quem bellipotens miscebat proelia regum
 Pro populis rerum conciliator eras;
 Pro facto egregio BENE, tu mitissime, DICTE
 accipias tandem praemia iusta tua.
 Omnes caelicolas votis precor omnibus, ut quum
 dona tibi dederint plurima, plura parent.
 Namque tibi meritis pro talibus, omnia quando
 contulerint, meritis inferiora dabunt.
 Qui postquam casus bellando exhausimus omnes,
 tempora iam nobis commodiora paras:
 Et demum extincto belli armorunque tumultu,
 iam patriae fundas otia certa tuae.
 Orbe sub Assyrio fallax Mahometus inquis
 legibus collectans, et tibi dona refert.*

*Sis felix laetusque isto pro munere, Princeps,
proh dolor! ingrati quum tibi nos fuimus!
Quidquid agas, coeptis bona lux precor omnibus adsit
unde tibi faustum perficiatur opus.
Quumque manus puras supplex ad sidera tolles,
numina sint precibus non aliena tuis.
Ostendat totum, fama plaudente, per orbem
se tuus in multa luce videndus honos:
Te mare, te tellus, te noverit ultimus orbis;
omnis sit laudis conscientia terra tuae.
Et populos longe festo clamore per omnes
Pontificis nomen plausus et aura ferat.
Totque feras laudes, quot dicitur ille tulisse
Sub quo, pacatus, principe, mundus erat.
Sic tua sancta Ratis pelagus decurrat apertum
ut venti spirent in tua vela sui.
Et qui spumantes agitata per aequora fluctus
tolluntur, nutu stentque, cadantque tuo.
Si quos fortunae casus et iniqua tulisti
tempora, pars vitae cetera nube vacet.
Dumque ministrabis regno clavumque tenebis
nulla ministerio lux sit acerba tuo.
Adcurrant reges tibi, pacis dona ferentes,
ut quondam Christo thura tulere Magi.
Quamquam parce queri, si te iactavit inquis
aspera fors fatis, et tibi dura fuit:
Cui nihil adversi si tempora nostra tulissent,
tu fortunatus, sed sine laude fores.
At tibi, qui duri potuisti incendia Martis
tollere, pax per te facta triumphus erit.
Quum Roma annuerit, neque mundi vota refutent:
non patriae tantum, sed pater orbis eris!*

ALEXANDER AURELI.

NOVUM BENEDICTI XV P. M. sociale documentum

Familiaris atque civilis ordo profecto sunt vitae fundamentum; in omnes enim vitae rationes atque indicia status sive tristis sive laetus, exagitatus aut serenus redundat, ex praecipuis fontibus illis manans, per quos vim et vigorem vita ipsa demonstrat. Origina itaque tum perturbationum tum ipsius progressus inde procedit, tamquam effectus ex causa prima; itemque rationum inquisitio per quas lacunae expleantur, stirpitus exigantur errores, declinationes emendentur quibus humana societas obvenit, serius ocius, at certo, in mala incident, quae tum inter domesticas parietes occultantur, tum civilem ordinem subvertunt. Qui igitur in huiusmodi rationes intendit, ad sociales, ut ita dicam, radices intendit; scilicet ad populorum nationumque salutem intendit radicitus.

Atqui id per actorum seriem, quorum alterum alteri brevi temporis intervallo succedit, Benedictus XV P. M. providentissime perficit; qui nuper, arrepta occasione quinquagesimi anni labentis, ex quo Deiparae Virginis Sponsus idemque Verbi Incarnati Nutricius, Ioseph, Ecclesiae Catholicae Patronus est declaratus, die xxv superioris mensis Iulii novum ad rem documentum edidit, de quo imprimis adnotandus quidem est nexus intimus idemque necessarius, a Pontifice in lucem iterum opportune prolatus, inter fidem et mores, inter spirituales humanasque quaestiones intercedens, inter virtutes quae ex religione hauriuntur, atque imperiosa socialis vitae hodierna postulata.

* *

Illarum autem oppressionem, horum elationem in hominum quam nunc vivimus societate *naturalismus* praecipue ge-

neravit, « maxima illa saeculi lues, quae, ubi invaluit, caelestium bonorum desiderium debilitat,flammam divinae caritatis opprimit, hominem sananti et elevanti Christi gratiae subtrahit, eumque fidei lumine denique orbatum et solis naturae infirmis corruptisque viribus instructum, effrenatis animi cupiditatibus permittit. Conversa igitur unice studia ad res caducas nimis multi mortales quum haberent, quumque proletarios inter et locupletes infensissimae aemulationes et simultates intercederent, mutuam classum inimicietas adauxit acrioresque reddidit belli diuturnitas et magnitudo, ideo praesertim, quod hinc intolerandam multitudini annoe caritatem, illinc sublatam fortunarum affluentiam perpaucis attulit».

Quae quidem perniciosa doctrina quum familiarem ordinem invaserit, factum est, ut « coniugalis vitae sanctitas patriaeque potestatis verecundia non parum detimenti apud plurimos bello ceperint, propterea quod et alterius coniugis longinquitas officiorum vincula in altero relaxaret, et custodis absentia temeritatem maxime puellarum ad indulgendum sibi licentius impelleret». Itaque « dolendum est multo esse magis quam antea corruptos depravatosque mores, eaque re ipsam *causam socialem*, quae dicitur, ingravescere in dies, adeo ut extrema iam sint malorum extimescenda. Est enim flagitosissimi cuiusque votis atque exspectationi matrurus ortus cuiusdam universalis reipublicae, quae perfecta hominum aequalitate et bonorum communione tamquam principiis innititur, et in qua nec ulla sint rationum discrimina, nec patris in filios, nec publicae potestatis in cives, nec Dei agnoscatur in homines consociatos auctoritas. Haec si deducantur in usum, miros terrores sequi necesse est; et eos nunc quidem non exigua Europae pars experitatur atque sentit. Atqui condicionem eiusmodi ceteris etiam populis quaeri vide-

mus, concitatisque paucorum furore et audacia pleibus, magnas hic illic turbas subinde existere».

**

Quae quum verbis ad veritatem expresserit atque effinxerit, Pater amantissimus sollicitudinem revocat, qua filios sui commonefacere officii ex occasione haud praetermisit; iamque eandem ob causam homines quotquot ubique sunt, qui manu et labore victimum sibi comparant, ut in officio retineantur iisque a *Socialismi* contagione « quo nihil christiana sapientiae est ini-micus » intacti conserventur, iisdem praesertim Sanctum Ioseph perstudiose proponit, quem peculiarem et vitae ducem observent et patronum colant.

« Is enim - ait - simili, atque ipsi, vitae genere aetatem exigit: cuius ratione rei Christus Deus, quem esset aeterni Patris unigenitus, *Fabri Filius* appellari voluit. At eam loci fortunaeque humilitatem quantis quamque excellentibus ornavit virtutibus; nimirum iis, quibus elucere decebat eum, qui vir esset Mariae Immaculatae, qui que Iesu Domini Pater putaretur. Quare Ioseph magistro, discant omnes praesentia quae fluunt, sub lumine spectare futurum, quae permanent; et humanae incommoda condicionis spe consolantes caelestium bonorum, ad ea, divinae voluntati obsequendo, id est, sobrie et iuste et pie vivendo, contendant».

Quod autem proprie ad operarios attinet, repetit ac refert quae Leo XIII simili in causa edixit: « Harum cogitatione rerum - ita sapientiae illud lumen in Epist. Encycl. *Quamquam pluries* - debent erigere animos et aequa sentire egeni et quotquot manuum mercede vitam tolerant: quibus si emergere ex egestate et meliorem statum acquirere concessum est non repugnante iustitia, ordinem tamen providentia Dei constitutum subvertere, non ratio, non iustitia permittit. Immo vero ad vim

descendere, et quicquam in hoc genere aggredi per seditionem et turbas, stultum coasilium est, mala illa ipsa efficiens plenumque graviora, quorum leniendorum causa suscipitur. Non igitur seditionorum hominum promissis confidant inopes, si sapiunt, sed exemplo patrocinioque beati Iosephi, itemque materna Ecclesiae caritate, quae scilicet de illorum statu curam gerit quotidie maiorem».

**

Iis, qui lucrum atque insanias hodiernae vitae voluptates beluarum more sequuntur, difficile fortasse erit intelligere quomodo humiliis, atque tamen excelsa, Nazarethani Fabri figura Catholicae Ecclesiae Magistro tam severa tamque provida monumenta tum familiarum tum societatis ordini suggestere potuerit; qui vero lumen vel obscurum veritatis in animo servat adhuc, qui correptus nondum naturalismo illo impe-rante perspicue videt omnia in praecipitruere, sentiet proculdubio penitusque planeque vim cognoscet paternae vocis iterum provocantis, ut singuli homines, familliae, nationes, civilis denique societas, ad perennes fontes veritatis, honesti, iustitiae, tandem aliquando in suam salutem revertantur.

ROMANUS.

S. HIERONYMUS

DOCTOR MAXIMUS

(CCCCXX-MXCXX)

Annus saecularis millesimus quingen-tesimus, qui die xxx huius mensis complebitur, a felici transitu S. Hieronymi, excitat, ut aliquid nos etiam de tanto viro dicamus. Absque dubio s. Hieronymus eminent inter praecipuos Patres et Doctores Ecclesiae catholicae; iuvat ergo, ut illum hinc breviter consideremus.

S. Hieronymum summi viri semper magni fecerunt; idque non solum postquam e vivis cessit, sed etiam dum in humani ageret adhuc. Eum etiamtum viuentem summus ille Augustinus vocabat « virum doctissimum », « hominem Dei », « virum in Scripturis doctissimum ».¹ - Paulus Orosius illum et s. Augustinum dicebat « columnas et firmamenta Ecclesiae catholicae ».² - Sulpicius Severus eum ita extollebat, « ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare ».³

Hanc autem auctoritatem, hoc nomen in Ecclesia catholica inter suos aequales s. Hieronymus sibi acquisiverat ante omnia vitae integritate, indefesso studio praesertim ss. Scripturarum, sollertia pro pulitate doctrinae catholicae, qua illi nil sanctius erat; dein magnis et continuis laboribus, quos in honorem Dei et animarum salutem exantlavit. Unde eius aequalis, quem supra nominavimus, Sulpicius Severus, de illo asseverabat: « Totus semper in lectione, totus in libris, non die, non nocte requiescit; aut legit aliquid semper, aut scribit ».⁴ Et revera totius eius vitae finem, quem sibi proposuerat, his paucis exprimere possumus: S. Scripturae sensum diligenter pandere, quoscumque fideles in tramite virtutis dirigere, varios errores confutare, omnibusque se per epistolam consulentibus respondere.⁵

Hieronymus quidem mundum fugiebat, deserta quaerebat, vitam monasticam ducebat; hoc tamen illi non obstitit quomodo sine intermissione pro Ecclesia catholica laboraret, eius doctrinam ab haereticis defenderet, salutem animarum quereret

¹ Epist. CXLVIII ad Fortunatum, c. 2, 4. - P. L., 33, p. 625, 628.

² Liber apologet. contra Pelagium, c. 1. - P. L., 31, 1175.

³ Dialogi, P. L., 20, p. 189.

⁴ Dialogi, P. L., 20, p. 190.

⁵ FESSLER-JUNGMANN, *Institutiones Patrologiae*. Oeniponte 1892, tom. II, P. I., p. 143.

et sese innumeris hominibus securum dum in via spirituali preeberet. Ideo dum sua aeternae saluti prospicit sive in horrido deserto Chalcidis, sive in recessu Bethlehemico, sive dum Romae publicis negotiis occupatus Damasum Papam adiuvat, statim ac novus aliquis error contra catholicam fidem insurgit, ille calamum illico stringit et, ut bonus Christi miles, confutat insurgentem fallacem doctrinam, catholicamque defendit. Testes huius assertio-nis sunt opera: *Dialogus adversus Luciferianos*.¹ - *Liber adversus Helvidium de perpetua virginitate B. Mariae*.² - *Libri duo adversus Iovinianum*.³ - *Contra Vigilantium liber unus*.⁴ - *Dialogus contra Pelagianos*.⁵

Praecipua tamen eius laus fuit studium s. Scripturae, in quod per totam vitam incubuit. Hic nullus ei par; nullus Pater Ecclesiae, nullus scriptor ecclesiasticus potest cum illo comparari. Ille non solum versionem latinam s. Scripturae, qua etiam nunc Ecclesia latina utitur, originali fidei reddidit, sed etiam doctis commentariis illustravit. Correctionibus, versionibus et commentariis s. Scripturae, Hieronymus exigit sibi in Ecclesia catholica monumentum aere perennius, quod stat adhuc in medio Ecclesiae et auctoritatem eius omnibus annuntiat et commendat.

**

Qualis porro fuerit eius auctoritas et existimatio apud aequales suos, nobis testes esse possunt etiam eius epistolae, quae adhuc supersunt. Quarum argumenti diversitas annuntiat multiplicem eius navigationem, et insuper prodit magnum eius studium pro salute animarum. Ex illis enim epistolis aliae sunt pure familiares, aliae

¹ P. L., 23, p. 163-191.

² Ib., p. 193-216.

³ Ib., p. 222-352.

⁴ Ib., p. 354-368.

⁵ Ib., p. 518-618.

historicae, consolatoriae aliae, aliae explanant s. Scripturae difficultates, aliae denique sunt morales et asceticae, egregiis morum praeceptis refertae. Haec omnia nobis dicunt, quo modo homines diversae conditionis, sexus, aetatis, accensi desiderio scientiae aut perfectionis christiana, ad eum confugerent, ab illo consilia peterent, ei dubia exponerent, ab illo in via perfectionis christiana dirigi desiderarent.

Non estigitur mirum, si circa annum cccc ad amicum Paulinum Hieronymus haec verba scribere potuerit: « Et ut sanctae menti tuae simpliciter fatear, uno ad Occidentem navigandi tempore, tanta a me simul epistolae flagitantur, ut si cuncta ad singulas velim rescribere occurrere nequeam ».¹ Pariter nil mirum quod eius opera undique summo desiderio efflagitarentur. Sic Lucinianus ex Hispania mittit ad eum in Orientem notarios sex, qui sibi eius opera describerent. Hoc enim scimus ex epistola consolatoria, quam Hieronymus Theodorae viduae ipsius Luciniani scripsit: « ...Ego in illo magis laudabo fervorem et studium Scripturarum. Quo ille desiderio opuscula nostra flagitavit et missis sex notariis, (quia in hac provincia latini sermonis scriptorum penuria est), describi sibi fecit, quaecunque ab adolescentia usque in praesens tempus dictavimus ».² Sine veritatis ergo traiectione Paulus Orosius anno ccccxv de illo affirmare potuit: « Eius eloquium universus Occidens sicut ros in vellus exspectat ».³

Dum igitur in vivis esset Hieronymum honor et amor prosequebatur tum in Oriente, tum in Occidente; undique ad illum ut ad magistrum et Doctorem homines concurrebant. Quamquam non defue-

¹ Epist. LXXXV, n. 1, ad Paulinum. P. L. 22, p. 752.

² Epist. LXXV, n. 4, ad Teodoram viduam. - P. L., 22, p. 688.

³ Liber apologet. contra Pelagium, C. I. - P. L., 31, p. 1177.

runt ei odia et persecutiones malorum hominum et haereticorum; quod tamen eius auctoritatem apud bonos non minuit, imo auxit. Quare Sulpicius Severus testatur: « Oderunt eum haeretici, quia eos impugnare non desinit; oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt, nam qui eum haereticum esse arbitrantur, insanunt. Vere dixerim catholica hominis scientia, sana doctrina est ».¹ Et iam ipse Hieronymus circa finem anni cccxcii scripserat: « Statim ut aliquid scripsero, aut amatores mei, aut invidi, diverso quidem studio, sed pari certamine, in vulgus nostra disseminant; et vel in laude, vel in vituperatione nimii sunt ».²

**

S. Hieronymus hanc mortalem vitam cum aeterna commutavit die xxx mens. Septembris ccccxix post Christum natum. Sed veneratio et existimatio, qua apud aequales suos gaudebat, post eius mortem non est deminuta; quin etiam a saeculo in saeculum apud Ecclesiam catholicam crevit. Vix duo lustra elapsa erant post eius beatam mortem, et iam de illo s. Prosper in opere « Carmen de ingratis » canebat:

Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes,
Hebraeo simul et Graio Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum mundique magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecut; noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortae lucem obscurare tenebrae.³

Pariter paucis annis post eius mortem Ioannes Cassianus de illo scribebat: « Hieronymus catholicorum magister, cuius scripta per universum mundum quasi divinae lampades rutilant... Hieronymo sunt maxima scientia, probatissimae puraeque

¹ Dialogi, P. L., 20, p. 189.

² Epist. XXXIX, n. 2, ad Pamachium. P. L., 22, p. 511.

³ Pars I, v. 55 sqq., P. L., 51, p. 98,

doctrinae ».¹ - Eodem saeculo quinto Idacius episcopus et aequalis Hieronymi de illo dicit: « Hieronymus presbyterio praeditus in Bethleem Iudee vicinia consistens praecipuus habetur in cunctis ».² - Saeculo autem sexto Marcellinus Comes his verbis eum extollit: « Catholicis quidem inexpugnabilis Ecclesiae turris, haereticis autem omnibus infaticabilis hostis, tam proposito vitae sua, quam librorum a se editorum assertionibus depugnans ».³

Sed laus summa quae Hieronymo contigit eiusque auctoritatem et aestimationem auxit et confirmavit, fuit approbatio eius operum ex parte Ecclesiae catholicae, quae iam saeculo v evenit. In celebri *Decretali s. Gelasii Papae* (ccccxii-ccccxcvi) « De libris recipiendis et non recipiendis » inter scripta aliorum Patrum Ecclesiae etiam opera s. Hieronymi approbantur et venerationi fidelium commendantur. Ibi enim post « opuscula » beati Caecilii Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Athanasii, Ioannis Chrysostomi, Theophili, Cyrilli Alex., Hilarii, Ambrosii, Augustini, etiam opera s. Hieronymi laudantur; et dein additur: « Item opuscula atque tractatus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctae Romanae Ecclesiae consortio deviarunt, nec ab eius fide vel praedicatione seiuncti sunt; sed ipsius communicationi per gratiam Dei usque in ultimum diem vitae sua fuere participes, legendos decernit ».⁴

Ex illo tempore auctoritas Hieronymi in *Patris Ecclesiae* magis ac magis crevit ita, ut circa initium saeculi ix inter quatuor maximos Patres Ecclesiae celebraretur. Sic enim Ioannes monachus circa illud tempus sribit: « Ambrosius. Augustinus,

¹ De Incarnatione, lib. VII, cap. 26, P. L., 50, p. 256, 258.

² Chronicon ad an. XII Arcadii et Honorii. P. L., 51, p. 876.

³ Chronicon ad an. CCCXCII, P. L., 51, p. 920.

⁴ DENZIGER, Enchiridion, 13 n. 165. P. L., 59, p. 160.

Hieronymus atque Gregorius, qui fuerunt doctissimi in utraque scientia, divina sciencet et humana, et fuerunt in eloquentia veluti quattuor paradisi flumina ».¹ Et saeculo duodecimo Ioannes Saresberiensis afferens testimonium s. Hieronymi, hoc modo eum indicat: « Hinc et illud Doctoris doctorum Hieronymi: Ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis ».² Tandem anno MCCXCVIII Summus Pontifex Bonifacius VIII cum beatis Gregorio, qui meritis inclytus Sedis Apostolicae curam gessit, Augustino et Ambrosio venerandis antistitibus, Hieronymum sacerdotii praeditum titulo *magni Ecclesiae Doctoris* decoravit. « Horum, - inquit, - doctorum per lucida et salutaria documenta praedictam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus et moribus informarunt. Per ipsos praeterea quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in domo Domini positas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Ecclesiae tanquam sidus irradiat matutinum. Eorum etiam foecunda facundia, caelestis irrigui gratia influente, Scripturarum aenigmata reserat, solvit nodos, obscura dilucidat dubiaque declarat; profundis quoque ac decoris illorum sermonibus ampla ipsius Ecclesiae fabrica velut gemmis vernantibus rutilat et verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat ».³

**

Non unum, sed quindecim saecula transferunt ab obitu Hieronymi. Decursu tam diuturni temporis multae res mutationes subierunt in orbe terrarum, multae pariter

¹ IOANNIS MONACHI liber de miraculis, apud BARDEHWER, Geschichte der altkirchlichen Literatur, Freiburg, 1913, vol. I, p. 47.

² Polycratius, sive de nigris curialium, lib. VII, cap. X, P. L., 199, p. 661.

³ Liber sextus C. I. C., lib. 3, tit. 22, cap. un. de reliquis et veneratione sanctorum. Editio secunda Richteri-Friedburg, Lipsiae, 1881, p. 1059 1060.

omnino disparuerunt! Desertum Chalcidis non inhabitant amplius monachi; Urbis aeterna continua mutationibus obnoxia fuit; monasterium Bethlehemiticum disparuit.... At in medijs huiusmodi mutationibus, in hoc continuo fluxu, Ecclesia catholica permanet immutabilis, semper virescit et cum ipsa auctoritas et existimatio s. Hieronymi stabilis perseverat. Saeculo quidem xvi, Lutherus ausus est auctoritatem et nomen Hieronymi concutere, nam eius doctrina certo certius eius innovationibus contraria erat. Ideo declaravit nulli Doctorum Ecclesiae se ita infestum esse sicut Hieronymo, eo quod Hieronymus non loqueretur nisi de ieiuniis, de cibis, de virginitate, etc.¹ - Odium hoc contra Hieronymum Lutheri asseclae prosequuti sunt usque in hodiernum diem et prosequuntur; at inania eorum conamina evaserunt. S. Hieronymus enim fuit et erit testis fidelis doctrinae, inexpugnabilis Ecclesiae turris, haereticis autem omnibus infatigabilis hostis.

AMBROSIUS BACIC, O. P.

¹ TISCHREDEN, Erlanger Ausgabe 62, 120.

DE AGNOMINATIONIBUS¹

II.

Agnominationibus omni aetate usi sunt, qui melius in mente sibi aliisque figere res velint; ita ut Rasius, de quo mentionem fecimus, asserere non dubitaverit agnominationis finem, praesertim sub «alitterationis» forma, praecipue eum esse, ut quasi «acusticus effectus» fiat; quo melius scilicet agnominationem et ipse felici-

citer ad rem adhibens - mentis *conceptus* per oris *concentum* imprimatur. Re quidem vera mnemonica vis similiter cadentium verborum tamquam agnominationis peculiaris forma habenda est; et omni tempore et ubique confirmatur, ita ut nulla prope vel scholastica loca fuerint, quae versibus casus habentibus in exitu similes haud redderentur. Ad rem revocanda sunt celeberrima illa scholae salernitanae praecpta; quorum nonnulla repetere iuvat:

*Si vis in columem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves, irasci crede profanum.*

*Parce mero, coenato parum, non sit tibi
[vanum]*

*Surgere post epulas; somnum fuge me-
[ridianum,..]*

*Fons, Speculum, Gramen, haec dant
[oculis relevamen.*

*Mane igitur montes; sub serum inqui-
[rito fontes.*

*Ex magna coena, stomacho fit maxima
poena.*

Ut sis nocte levis, sit tibi coena brevis.

*Ova recentia, vina rubentia, pinguia iura
Cum simila, naturae sunt valitura.*

*Temporibus veris modicum prandere
[iuberis.*

*Sed calor aestatis dapibus nocet immo-
[deratis.*

*Autumni fructus caveas, ne sint tibi
[luctus.*

*De mensa sume quantum vis tempore
[brumae.*

Si fore vis sanus, ablue saepe manus.

¹ Cfr. fasc. mens. Apr., p. 59 sqq.

*Inter prandendum sit saepe parumque
[bibendum.*

Si sumas ovum, molle sit atque novum.

*Caseus et panis sunt optima fercula sanis.
Singula post ova, pocula sume nova.*

*Emendat visum, stomachum confortat
[anisum.*

*Post coenam stabis, aut passus mille
[meabis*

*Sed non medicina tantum, sed et gram-
matica, ius, mathesis ipsa per agnomina-
tiones tradi consuevit.*

*Quamquam et sine consonantia illa sunt
praecpta versibus redditia, quae tamquam
verae agnominationes et ipsa sese exhib-
ent. Ut alios versus Salernitanae scholae
praetereamus, exempla sint nonnulla ab
Alvaro deprompta:*

US TERTIAE DECLINATIONIS.

*Postulat us neutrum, quoties in tertia
[flectit:*

*Mas lepus et mus, pus graecum compo-
[staque iunges:*

*Est muliebre palus, subscus, pulcherrima
[virtus*

*Atque salus pecudisque pecus, quibus
[additur incus,*

*Quaeque sibi servus iuvenisque senesque
[iugarunt.*

*Sit quoque foemineum lagopus herba
[volucris.*

*Qui sequuntur versus vere ad linguam,
prouti vulgo dicitur, exsolvendam, adhi-
beri valent:*

X FINITA.

*X dato foemineis: sunt mas fornixque
[calixque*

*Grex, spadix, bombyx, tradux, phoenix-
[que calyxque,*

*Et coccyx et Eryx, volvox atque unce
[creata:*

*Ax, ex finitum polysyllabon esto virile;
Foemineum tamen est fornax, alexque,
[supellex,*

*Queis addes vibex, forfex cum smilace,
[carex.*

A nominibus ad verba:

*PRAETERITA ET SUPINA III CONIUGATIONIS
FINITA IN IO.*

*A specio ac lacio eci, ectum; excipe ver-
[bum*

*Elicio elicui elicitum: sapui sapiive
Dat sapio solum; a feci deducito factum;*

*A ieci iactum: dat fodis duplice fossum;
Praeterito cupio facit ivi, itemque su-
[pino,*

*A capio cepi captum; fugi absque supino
Afugio: rapio rapui, dein ducito raptum:*

*A pario peperi partum, sed dic paritu-
[rum;*

*Comperio quartam socia cum prole se-
[quuntur.*

**

*Proverbia insuper maxime communia
et vulgata plerumque ab agnominatione
fulgorem suum trahunt. Ita e. g. apud
Latinos: Res ad restim, ut dicerent:
Omnia amisimus - Do ut des - Manus
manum (scilicet lavat, pro: «alter alteri
succurrit») - Fortes fortuna (subaudi:
adiuvat) - Pares cum paribus (subaudi:
facillime congregantur) - Dies diem (scil.
docet) - Ab acia et acu (h. e. «omnia parti-
culatim exponere») - Multum, non multa
(agas, disce). Pariterque: Canis non edit
caninam - Suo remigio rem gerere -
Ex manu manubrium eximere - Male
partum male disperit - Qualis rex, talis
grex - Pauper ubique iacet, dives ubique
placet - Duo quum faciunt idem, non
est idem - Non omnes qui habent citha-*

¹ Scilicet quincunx. septunx, deunx, etc.

ram sunt citharoedi - Quot homines (vel capita) tot sententiae, etc.

Sed et apophategmata quaedam historica posteris mandata sunt ob eorum phoneticam vim. Ita Caesaris illud *Veni, vidi, vici* triumphantium more a Sobieski imperatore est repetitum, quum Innocentio PP. XI Vindobonam a Turcarum imperio vindicatam nunciavit scribens: *Veni, vidi et Deus vicit*. Quin etiam haec verba tamquam insigne suum copiarum duces plures fecere, inter quos alter Fridericus. Satyrarum autem scriptor quidam ea in *Venit, vidit, ... fugit* immutavit contra Ferdinandum e Borbonica gente Neapolitanum principem; qui quum ann. MDCCXCVIII regnum suum a Gallis invasum vidisset et adversus illos exercitum magnum collegisset, quumque in eo esset ut manus cum hostibus consereret, non solum castra reliquit, sed Neapolim reversus, Nelsoni naves consendit, neque firmum satis animum resumpsit, donec Panormi in tuto sese non viderit.

Responsum pariter quod ferunt a Laurentio Ricci, Societatis Iesu Praeposito Generali, Clementi XIV datum, qui ut Societatis ipsius regulas corrigeret ei suadebat, satis est vulgatum per agnominations formulam: *Sint ut sunt, aut non sint!*

In epitaphiis quoque haud raro agnominations invenimus, quarum dulcissima legitur in sepulrali illa tabula Romani cuiusdam, ubi mortui nomini una haec verba adduntur: *Abiit, non obiit*¹

**

Diximus celeberrimum Iulii Caesaris effatum post pugnam apud Zelam in plurimorum ducum insigne cessisse; atqui insignibus agnominations saepissime accommodantur. Neque id mirum; namque

¹ Cfr. A. SCARLATTI, opus alias citat., vol. I, pars altera, c. I.

quum necesse sit ut dicta haec conceptis verbis exprimantur, nempe ita composita, ut maximam vim in sese habeant utque facile in vulgo retineantur, agnominatio optime ad rem valet. Exemplo sint latinae nonnullae, quae ab Americo Scarlatti¹ decerpsumus:

Candida candidis sibi sumpsit Claudia, Francisci I Gallorum regis uxor; *A bonis bona* Innocentius Cybo, cardinalis; *Ingressus non regressus* cardinalis Hippolytus Mediceus; *Per angusta ad augusta* Brandenburgensis aulica domus; *Aspice et inspice* Carolus VI imperator; *Praestando praesto* nobilis Hamiltonorum familia; et Cantazucena graeca gens: *Παθήματα μαθήματα*; quod latine redditum est: *Quae nocent, docent*. Sunt autem trita et communia: *Cominus et eminus - Dum spiro, spero - Sero, sed serio - Sisto, non sistor - Vaca ut vaces - Visu et nisu - Ostendo, non ostento - Amicus amico - Invita invidia - Per callem, collem - Per castra ad astra - Praesim ut prosim - Nec timide nec tumide - Cubo et excubo - Ludere non laedere - Sustine et abstine.*

Interea viri vanitatem, aut superbiam, aut praepotentiam suique amorem aperte agnominations expromunt; ut *Terroris terror - Sola salus (gladius) - Gaude et aude - Via vi - Fugat non fugit - Librat, affert, effert - Rex, lex, grex*, etc.

Interdum etiam agnominatio eadem sensibus inter se oppositis adhibetur; ut *Marte et arte, atque simul: Marte, non arte - Ferendo et feriendo, et: Ferendo, non feriendo - Fide et vide, ac: Fide, sed cui, vide.*

Nec raro agnominatio ad gentis nomen refertur, quod ideo facile magis retentum fit. Ita *Deus dedit* de italica familia Diodati; *Non sono sed dono* de Seddon; *Lupus nomen, agnus omen* de teutonica gente Wolf (nam in teutonica lingua *wolf*

¹ Indidem.

idem est ac lupus); *Albus in albis* de Dalbis; *Menda emendes* de Mendes; *Ardua petit ardea* de Héron; quia *héron = ardea avis*, ad ardua et altissima tendit *Ne vile velis* sibi aptavit Neville; *Vive ut vivas* gallica familia Vivien, et *Dum vivimus vivamus* italica Viviani; *Sole et sale* Salzer; *In bello non imbelles* Bombelles; *Cresce in bene* Crescimbeni. Denique et simplices literae in insignibus agnominations indicare possunt, ut G. G. G. de familia Gervais, quas interpretantur: *Generose Gerit Gervasius*; T. T. T. de familia Tuccia; hoc est: *Tempora Tempore Tempera*, et F. quatuor multarum familiarum propriae, quae teutonice sonant: *Frisch, Fromm, Froh, Frei*; hispanice: *Franco, Fresco, Firmo, Forte*; italice: *Franco, Fresco, Fiero, Forte*, scilicet latine: *Firmus, Florens, Ferox, Fortis*.

Ut rivos hodie claudamus - alias prata de re et alia bibent - agnominations cuiusdam mentionem faciam, qua in aperto sit hoc scribendi genus et per occasionem studiose sumptum. Quum scilicet Hispani Siciliae dominatum haberent Turcaeque in illam insulam frequentes incursions facerent, Licatensi civitati, ut sese defenderet, tormenta bellica ignivoma aliquot donata sunt. In quadam aenea ballista, ab hispano duce Didaco Ostos oblata, his verbis offerentis donum insculptum est: *Ostos contra hostes*.

I. F.

PRO IUNIORIBUS

De Sardiniae rebus.

I.

Varia pro temporum varietate Sardinia insula sortita est nomina; a Phoenicibus *Cadoxene*, a Timaeo *Sandaliotis*, a Graecis *Ichnusa* ideo appellata, quod humani vesti-

gi formam prae se ferat, ut, praeuentibus Sallustio et Aulo Gellio, Plinius et Solinus tradiderunt; quibus consonat Claudioianus, illis versibus:

*Humanae speciem plantae sinuosa figurat insula.
(De bello Gildonio).*

His demum nominibus oblitteratis, Sardiniae nomen, quod hucusque retinet, derivatum est vel a *Sardo*, perantiquae coloniae ex Libya duce, vel a gentibus, itidem Libycis, *Sahardana*, referentibus Pausania, Silio Italico, et Claudio, quibus concinit auctor praestantissimus, in sua *Sardinia praeromana*, Hector Pais, sardiniensis et rerum antiquarum eximius cultor, in presentiarum Romani athenaei doctissimus moderator.

Hactenus de nomine; nunc de antiquissimis Sardiniae incolis.

Multa a Sardois auctoriibus, prae nimio suae patriae studio, Vico, Aleo, Bonfant, Vidal, congesta de originariis populis Sardiniae, sed prorsus fabulis amandanda, utpote quae hodiernis haud firmantur studiis eruditorum nullisve documentis communata ac prorsus reicienda a rerum cordato scriptore.

Ex antiquis eminet et videtur praeisse hodiernis Antistes Bosanen. Franciscus Fara in suo opere *De rebus Sardois*; in quo nescio utrum magis sit laudandus stylus comptus, an diligentia, et acies mentis acerrimae in rebus veteribus exquirendis; qua de causa inter omnes magnitudine et praestantia floret et apud eruditos plurimi aestimatur. Eodem referente, saeculo xvii a. Ch. n., Vetuslonenses ex Hetruria primi Sardiniae coloni fuere, atque urbem Feroniam considerunt, quod recentioribus antiquitatis studiis confirmatur, ut videre est in clarissima opella *Museo Topografico dell'Etruria* auctore Milani; et omnibus his praeivere Berones, Amnius, Tholomaeus, Livius,

Commigrarunt postea Coloniae Libycae, duce Sardo Patre, aut Iolaenses, aut Sahardani, omnes ab Africa.

Iolaenses, seu Ilienses, a Deo eponimo Iolao, sedes in montibus constituerunt. Eorum aetati referenda videtur origo vetustissimarum saxorum molium, quae *Nuraghes* vulgo appellantur, et ad instar rotundarum turrium in tota insula disseminata conspicuntur adhuc.¹

Phoenices «de Tyro potentes», navibus mare currentes mediterraneum undequaque, in Sardiniam insulam appulerunt, potius mercandi quam regundi causa; agrorum, metallorum, salis, vitri aliarumque artium cultum effuderunt, Sardorum animos sibi arce devincentes usque ad saec. VII a. Ch., sulcosque impresserunt profundissimos suae immigrationis; quorum clarissima documenta insignes scriptores Ioannes Can. Spano, Pais, Nissardi, Taramelli, iterum de terrae sinu excitarunt atque in Museo Kalaritano college- runt ordinaruntque cum omnium eruditorum plausu.

Graeci quoque, consulentibus Biante et Antigono, in Sardiniam peragrarunt, Ulbam condiderunt aliasque urbes, quorum vestigia adhuc lingua sardoa mififice innuunt; sed evecti a Carthaginensibus, qui quum renovare Phoenicum dominatum vellent, Sardos appetivere bello acerrimo. Quamobrem, Sicilia occupata, duce Machaeo, in Sardiniam bellum transferunt; sed a Sardis victi exerce- cūm amiserunt; infelix dux a suis exilio multatur.

Duce Hasdrubale, bellum repetierunt, sed infelissimo exitu; nam imperator vulneratus obiit, et insulani, fugatis hostibus, victores fuere. Teste Diodoro, alia certamina ad potiundum Sardinia, Carthagines subiere; demum saec. V ante Ch.

¹ Cfr. laudatum HECTOREM PAIS, in op. recentissimo *La Civiltà dei Nuraghi*.

ingentibus classibus, viribusque maritimis omnes e Sardis, praeter Iolaenses, in suam ditionem redegerunt. Hi enim, habitaculis terrestribus humo effossis lacte et carne vescebantur, vitamque ducebant quietam, ac propter difficillima et impervia loca semper liberi perseverarunt usque ad Iustinianum et Gregorium Magnum.

Regnavit Carthago in Sardinia a. CCLXXII usque ad finem primi belli poenici: felix, faustum pergratunque nobis eorum regimen fuit; artes enim, et ipsam agri colendi mercaturam, excavandi rationem fodinas tum plumbeas, tum argenteas; religionem, humanitatem atque cultum importarunt, condideruntque florentissimas urbes, nimirum Syllos, Cornu, Solcim, Tharros; itemque ab iisdem excitata fuit Kalaris, Urbs Sardiniae princeps, de qua egregie Claudianus cecinit:

*Urbs Libyam contra, Tyro fundata potenti
Tenditur in longum Kalaris...*

(Sequitur).

MAURUS SALE.

EX ITALIS URIBUS

Insignis scholarum cuiusque professionis concursus apud Salesianos.

In illa Urbis Taurinorum parte, quae ad septentrionem pertinet, est regio divinitus electa a Ioanne Bosco, sanctissimi exempli sacerdote, ubi pueros ad virtutem excoleret atque humanitatem. At quae rerum hominumque mutatio postquam huc pervenit! Ibi amplas aedes cum hortis eo consilio exstruxit, ut diebus festis in disciplinam convenienter pueri tunicati popelli, qui pro festis adsiduo labore distinerentur.

Ubique haud procul ab urbe moribus tutandis et ludis hortos suos aperuit et quotidie ad diversandum adolescentibus induxit.

Primus in Italies et fortasse in toto orbe terrarum scholas horis vespertinis instruxit parvulis, qui interdiu in opera incumbenterent. Huius exemplum Subalpinorum municipia ingressa, labentibus annis, scholas, quas serotinas dicunt, instituerunt; sive cultoribus bonarum artium laute adornarunt

Ibidem, divino veluti spiritu afflatus, suis puerulis, quos unice diligebat, diversas identidem artium liberalium officinas aptavit, ut ipsi aliquando victimum sibi et parentibus honeste querere possent.

Mirabile sane visu quot breviter sanctissimus vir aere conlato conficit! Adest in primis officina libraria, omnibus instrumentis recentioris inventi instructa, quae cum optima quoque decertare potest. Vide et librarios structores; quorum alter foliola plicat, alter «fragili geminas poliat pumice frontes!». Adsunt et fabri ferrarii, lignarii, sarcinatores.... Excellentissima cuiusque professionis ingenia.

Idem postea ad rem agrariam animum conversus, eo consilio suos ita agros colere iussit, ut, recentioribus adhibitis inventis, Italia nostra, quae antiquitus frugum parrens appellabatur et saturnia tellus, facilime rem necessariam ad victimum compararet, et homines, relictis urbibus, ad quas commodius ut vitam agerent, conveniebant, ad rura redeuntes, hinc recte sata colendo vitam inde atque libertatem conquirerent.

Apud Lombriascum, qui vicus est ad Padum, coloniam iuvenibus colendis atque instituendis condidit, ubi dispositis magisteriis, omnia traderentur, quae de re agraria vix publice in scholis inveniri possunt. Est alia apud Canelli oppidum, quod est in Astensis, terra fertilis et in primis vinis spumosis feracissima, quae

passim vel ad regias dapes iure merito que ferri consueverunt. Et illic, inquam, habetur puerorum colonia. Quod oculorum delicium! Quod patriae decus!

Et Romae, haud ita multo longe a moe- niis, abhinc paucos annos, adclamantibus omnibus, fundata est colonia pueris inopia laborantibus et parentibus in bello orbatis, ubi iam quinquaginta et amplius aluntur et religiosis moribus instituuntur. Quapropter Salesianis, arrepta occasione, qua solemniter est inauguratum harum rerum fundatori monumentum in magna platea ad Mariam Auxiliatricem, consilium fuit omnia simul colligere quae in Italia ab ipsis aguntur, ut essent aliquod operum suorum specimen et una studiorum ratio. Est, meo iudicio, res omnibus probanda. Non una offertur res mirabilis, sed centum sunt! Vel ipse ob oculos proponitur artiosus puellarum natalis! *Pandite Helicona deae cantusque movete!* Eamus! Hic panditur ostium atque adparent excellentissima salesianae cuiusque profes- sionis ingenia.

I. B. FRANCESIA.

ANNALES

Polonorum discrimin.

Nobilissima Polonorum gens, quae post dira saeculorum fata tandem in liberam nationem revixit, grave in discriminis diebus iterum adducta est. Bolscevici enim illi ferissimi Russi, suas copias quum colle- gissent, in finitimatam Polonicam regionem fecerunt impetum, ferro ignique eam va- stantes; iamque in eo esse dictitantur, ut ab ipsa Varsavia urbe capite non longe absint, quam cives enixe defendere, nulla aetatis conditionisque ratione habita, sa- tagunt. Vota utique Deo attollenda sunt, ut a nova tamque magna ruina non Po-

lonia tantum, sed humanitas servetur; atque simul dolendum vehementer est, nationum societatem, tot praedicationibus celebratam, impotem omnino tanto evertendo facinori sese exhibuisse; quin imo ad hanc virtutem suam nullam dissimilandam, iactuae omnis noxiam in miseros Polonus vertere, qui factiosos illos armis stimulassent; quasi nesciant omnes illos ab Anglia praesertim atque Gallia ad arma fuisse impulsos, ut Bolscevicorum periculum ab occidentali Europa arcerent!...

**

Inter Anglos et Gallos nova dissensio.

Quae quidem Gallia simul ac cognovit Polonorum res in apertam perniciem incurrere, maturare visa est ut Wrangel, supremi Russicarum copiarum ducis, quae imperandi Bolscevicorum rationibus obstant, gubernium recognosceret in inferioribus Russiae regionibus constitutum; quod quidem conquesti acriter sunt Angli, quippe insciis ipsis ceterisque consociatis nationibus factum; at profecto aliis placuit, illis scilicet qui ex dissensionibus utilitatem, merito aut iniuria, sibi comparant.

O quam vere humanae etiam res unicuique suum suo tempore tribuunt! Iam nempe historia plane ostendit aliunde veram ac diuturnam pacem fuisse repetendam; iis, inquam, principiis, quae unus, praeter partium studium positus et omnium gentium pari amore sollicitus, constituere poterat, ac re, sed frustra, constuerat, Pontifex Romanus!

**

Varia.

Ceterum ut qui post immane bellum eventus fiunt persequamur, adnotandum nobis imprimis occurrit Spa ad oppidum praenunciatum habitum fuisse conventum, in quo « pro forma » etiam soluta vexata

quaestio est de Germania exarmando; « pro forma » diximus, nam Germanici legati pacto subscriperunt post cautiones dilucide expressas atque per impellentem necessitatem vitandi ne altera occupatio a Gallis fieret fodinarum carbonis ad Ruhr flumen.

Denique verba facienda nobis essent de quaestionibus minoribus Europam reliquam, Americam, Orientalesque orbis regiones attingentibus; tum vero compendium hoc nostrum longe minis limina sua excederet. Satis igitur sit hinc quoque animi cum moerore animadvertere, etiam nunc, dum conventus alter alteri succedit, ubique pugnari; ubi autem ad arma non descenditur, vitam in angustiis curisque omnis generis agitari. Bellum, ut diximus, inter Polonus et Bolscevicos Russos agitur, bellum inter hos atque cives suos in Taurica Chersoneso, et Iaponios in extremis Orientis plagis; bellum, aut saltem rebelliones, sunt in Anatolia, in Syria, in Mespotamia, in Indiis ipsis, in Perside inter Mahumeti asseclas et Gallos, Graecos, Anglos; dissensiones magnae bellique minnae inter Suetiam et Finlandiam de Aland insulis; rixae et iurgia pro Teschen regionis possessione in Czeco-Slovachia, contentiones in Belgica inter Flamingos ac Vallones; ne dicamus de Hibernia Anglis semper adversante, de Aegypto in minaci rerum exspectatione permanente, de Albania ab Italis relicta atque in recordibus discidiis sese laniante, deque civilibus certaminibus in inferiore America, in Bolivia praesertim et in Mexicana civitate.

Accessit nuperrime, Lutetiae Parisiorum, Venizelos, Graecorum illius callidissimi administri, qui cupiditates suas Constantinopolim usque pandit, vitam nefarie petitam per duorum civium suorum manum, Constantino, quondam regi, favenit.

O vere tempora, o mores!

Idibus Augustis MCMXX.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Caritas et inopia rerum, in quibus omnes per orbem universum plus minusque versamur, ad scribendi argumenta heu! mecum processit; qui ideo ut menstruum munus meum absolvam – neque fuit qui mihi hodie succurreret – in re insistere sum coactus, quam in superiore fasciculo attigi; **excentricitates** dico scriptorum, quas hinc illinc legendo de prompsi.

De Theophilo Gauthier fidem in fascino adnotavi: addam hodie ipsum in scabello scribere solitum ita elato, ut ei permetteret nasum super scriptoria tabula ad rem inclinata applicare. Ita carmina redigebat quae semper in Bononiae nemore, quod Parisiis vocatur, efformabat, vel sedens in peristylio, curribus omnibus civibus perviis vulgo imposito. Quum vero soluta oratione componeret, id perficiebat vel apud diurnorum officinam, quibus fabulas suas tamquam appendices committebat, pronus, imo stratus super magna aliqua officinae mensa. Hac ratione tradita sunt gesta immortalis illius gloriosi militis, quem *Fracassa* auctor appellavit.

Victor Hugo ex adverso stans notas stylo ducebatur, quas in ipso cubiculo deambulans condebat. Operi iam primo mane vacabat, quum interdum per obscuram noctem plumbo adnotasset versus, qui sibi tum menti succurrerent; neque scripturam aggrediebatur, quin peculiarem vestem, quasi notarilem, indueret: laneam scilicet, nigram, cum focali pariter nigro.

Lamartine, quum scribendi argumenta haberet, non diei solum, sed noctis nulli horae parcebat: magnae eius literae per magna folia discurrebant, quae quum complevisset circum disseminabat, quaeque ventus interdum secum rapiebat. Ne vero credideris illum ex huiusmodi discrimine exagitari nimis: si enim sua folia non

reperiaret, aliis nova de eodem argumento carmina committebat, neque ea primis pulcra minus: mens enim eius incitationi atque afflatui nunquam non obvia erat.

De Alexandre Dumas seniore dixi caeruleam chartam praetulisse eamque et ipsam magnis distributam foliis, sed parvis quadratis delineatam. Inveni nuper eum optimam et decoram scribendi rationem habuisse, quae tamquam scribendi artifici ei victum primitus comparavit, per Foy, militum supremum ducem. – « Magna ei cupido erat manum mihi amputandi! » aiebat Alexander, quum dies illos servitutis repeteret, calligraphiae suae debitos. Liturae quid essent noster cognovit nunquam: ex eius mente fluctus abundans atque sine ulla intermissione decurrebat; scribebat autem tunica interiore amictus, manicis ad cubitus usque inversis, nudoque pectore.

Aemilius Augier, fabularum scenicarum scriptor et ipse, civis satis locuples, in opera sua quiete ac placide incumbebat, tamquam viventium simplicissimus: id vero peculiare ei erat, ut quum tabulae assideret, nicotianas fistulas duodecim in lineam belle collocatas compararet, nec prius surgeret quam omnes hausisset. Sub vitae finem vero, medicorum hortatu, de huiusmodi consuetudine decessit; nec vero quisquam fuit qui ex operibus eius huiusmodi defectum adnotaret.

Quod quidem considerandum iis relinquimus, qui excitantes materias putant in ingenii facultates influere.

**

Locosa.

Tuccius – neque mirum – infelicem existum ex annuis studiis reportavit. Quem ubi pater cognovit:

– Quid igitur – moerens atque iratus clamat – de hoc filio faciam?

– Ne dubites – respondet Tuccius intrepidus – aviator ero.

— Tune?

— Ego quidem. Nonne omnes me dicunt inter nubes vivere?

In tribunal.

— O causarum actor optime! Sinas ut gratissimi animi ergo tibi dexteram permanter porrígam.

— Ego vero, iura adversarii tui defendi...

— Nempe hac de causa litem obtinui, gratesque recte apud te mihi sunt referendae!...

**

Aenigmata.

I

(vulgo *Rebus*)

SPERA
A ASTRA

II

In domibus vidi certis, arcique propinquis
Truncorum silvas ariditate senes;

Vidi ego paullatim trunci de fronte senili
Surgere maturos fertilitate satos.

Naturae miram cognovi in fructibus artem,
Illorum fibras vermis esse graves;

Ac illi solo vestiti cortice vermes

Non parient fructus, hos nisi flamma co-
[quat.

Esse solent maturi Maii mense cadente,
Et Scythicas pariunt, aut Babylonis opes.

Has sitit ille suo qui non libaverat ore
Fructum, qui melior quam mage durus

[erit.

Si longa requie fruerentur in arbore fructus,
Arceretque illis otia nulla manus,

Illata a classi, latebris quae emergit opacis,
Vulnera quam ferrent, viscera scissa forent.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Navicula textoris*; 2] *Is-sus*).

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Le satire di A. Persio Flacco illustrate con note Italiane da FELICE RAMORINO. Seconda edizione rifatta. - Edid. Augustae Taurin. off. Ioannis Chiantore, 1920. - Ven. lib. 6.

DR. GIAMBATTISTA BELLISSIMA. *Flora e fauna latina nelle monete consolari.* Contributo allo studio della storia naturale presso i Romani. Parte II: *Fauna.* - Senis, apud off. S. Bernardini, MCMXIX.

ID. *Il latino della Biccerna.* Saggio di studi sul latino medioevale. Parte I: Introduzione e saggio lessicografico; Parte II: Morfologia e sintassi. - Indidem, 1920.

ID. *La costituzione della dote di donna Mina Rinaldini per le sue nozze con Nuccio d'Ildibrandino, detto Nuccio Bello de' Saracini, nipote di Sapia Saracini.* Ricerca paleografica. - Indidem.

Q. VALERII CATULLI. *Carmina.* Recensuit, praefatus est, appendicem criticam addidit Carolus Pascal. - Augustae Taurin., Romae etc. edit. I. Paravia et soc. - Ven. lib. 2,25.

P. VERGILII MARONIS. *Aeneidos libri IV, V, VI.* Recensuit, praefatus est, appendicem criticam addidit Remigius Sabbadini. - Indidem. - Ven. lib. 3.

— *Aeneidos libri VII, VIII, IX.* Recensuit, praefatus est, appendicem criticam addidit Remigius Sabbadini. - Indidem. - Ven. lib. 3.

EPISTOLARUM COMMERCII

Cl. v. IACOBO SPRIN..., Chicagine. - Quas formulas ad salutandum, quaeque de valetudine, de morbis et medicamentis edidimus, ea omnia in volumen congesta proxime prodibunt.

Cl. v. MARTINO SAN..., S. Iacobi in Hispania. - Ergo, si quis rem aliquam tibi tradiderit, rogans ut nisi tibi faceret satis, redderes, idque etiam sine ullo tuo impendo; tu vero retinueris, imo ea per longum tempus usus fueris; nonne debitum tibi est eius pretium solvere, vel saltem mittenti tandem aliquando restituere?...

Cl. v. ALOISIO MAR..., Neapoli. - Carmen, quod missum ab illo viro asseris, numquam accepimus.

A SECRETIS.

LEO IV

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

OPERIS OCCASIO.

Anno millesimo nongentesimo et decimo quinto, die decima sexta mensis Augusti, Salesiani, magna animorum laetitia gestientes, solemnibus ceremoniis celebrare voluimus centesimum annum ortus Ioannis Bosco, suavissimi Patris. Multa variaque festa agenda esse putabamus, ut aliqua ratione amorem in Eum nostrum gratumque animum significaremus; sed vetuit teterimum bellum, quod diu tamque atrociter pugnabatur, ac propterea in aliud tempus differenda optime reputatum est. Attamen ne silentio omnino praeteriret sanctissimi illius diei memoria, placuit ut illa die Castrinovi in Astensibus, imo in ipsis colibus ubi Ioannes Bosco natus est, magna civium advenarumque frequentia, lapis auspicialis Aedis Mariae Adiutrici dicandae peneretur, ab tertio Rectore Salesianorum, Paulo Albera. Illo autem die, quum forte peregre in Urbe essem, fandi cum Pontifice Maximo copiam sum petere ausus; sperabam enim, me vel in obsequium Sanctissimi Patris fore compotem voti. Nec mea me spes fecellit. Vere illa dies erit mihi albo signanda lapillo. Quum Pontifex Max. dulci atque humanissimo vultu, cui eram notus ob complura latina opera in vulgus edita, forte a me peteret si quid describere cogitarem, ego, arrepta occasione, principem mitissimi ingenii admiratus, qui identidem inter horrendos armorum strepitus, vere Italice salutis adsertor et custos, plaudentibus late populis orbis terrarum, pacem mortalibus suaderet, haud animum eius iustis laudibus extollere dubitavi, quod proposuisset mira sane ratione, ut atrocia bella deprecaretur atque populos a civili sanguine prohiberet. « Tu, Pater, - aiebam, - vere es

non modo Romanae gentis custos, sed omnium populorum; tu dux bonus, tu patriae lux ac religionis fulcimen, qui singulari consilio Italiae saluti prospicis, anticipem potentiorum fidem praecavisti, dignissimus, cui se populi fortunasque suas devoverent... ». Et quum forte dixisset eum cum Leone IV optime componi posse, qui sua aetate mirum in modum in magnis rerum difficultatibus animum Italorum sustulisset, atque invicta fortitudine hostium audaciam fregisset, Italosque confirmasset, de hoc Pontifice actionem scribere cogitavi, ea tamen mente ut quae ob spectatorum oculos ipsa proferret, quum de Leone IV loqueretur, omnes facile de Benedicto XV repetenda putarent.

Eius enim vim mirabiliter senserunt osores catholicae sapientiae, adversus quos pro Italorum libertate fortiter dimicavit, et turbulentissimis reipublicae temporibus, dum imperatores Byzantii segnius versantes, rem nostram negligenter, insignem de hostibus triumphum retulit. Utinam Europa mitissimi eius animi consilia secuta fuisset. Tum quoque immane bellum, quo tamdiu omnes Orbis terrarum gentes angustiis pressi sunt, cum omnium gloria et consolatione, finem multo ante habuisset!...

Tu autem, Sanctissime Pater, qui vix sacrum principatum auspicatus pacis laude inclaruisti, clamare ne cesses, ut pacatis tandem omnium populorum animis, omnibus late populis plaudentibus, in augusta sede diu pladece populo christiano intersis.

Ipse autem Deus Te diu incolumem servet in Urbe, in qua tot saeculis, in populum salutem religionisque decorem, quasi in magno orbis terrae theatro gloriam Pontificum voluit spectatam.

Actionis personae.

LEO IV, Pontifex Maximus.
 THEODATUS, Diaconus Romanus.
 PUBLIUS, Supremus militiae magister.
 OCTAVIUS, eius filius.
 CONSTANS, subdolus Africanus, militum dux.
 MILITES ROMANI ET AFRI, ADOLESCENTULI,
 POPULUS.

PROLOGUS.¹

Italiam premunt Normanni occidui,
 Meridiani Saraceni barbari;
 Suis astutiis, falsis fallaciis
 Premit malignus et instanter Oriens,
 Et Longobardi fortes et innumeri ...
 Feruntur omnes animis hostilibus,
 Ut apes adsolent conferto in agmine.
 Iis sed omnibus restitit Pontifex,
 Ad quem sollicitae gentes confugiunt:
 Eum prae ceteris laudari meritum,
 Vocari regem reputo dignissimum,
 Componi et grandibus romanis civibus,
 Qui gentes olim domuere gladiis.
 Suis sic dictavit litteris Volterius.
 Urbem munivit, moenibus et turribus
 Catenis ferreis tutavit Tyberim.
 Prudenter exterios accivit populos,
 Ut omnes pellerent coniunctis viribus.
 Locos invisit muniendos: interest,
 Ac Saracenos irruentes conterit.
 Romanus est et reficit Rempublicam,
 Novos in Urbe spiritus redintegrat,
 Leone Roma surgit cum Pontifice.
 Quot tersit lacrimas, quod natos reddidit
 Matribus viduis ingemiscentibus!
 Velut stat inter monumentum rudera,
 Fuit Leo Romae corruptis moribus.
 Novae sic adstant civitatis moenia,
 Suo quae dicitur Leonina nomine.
 Leo nam quam Quartus maximis temporibus
 Urbem sollicite cinxit aggeribus,
 Dedit, quod melius, civibus fiduciam,
 Suis se viribus vindicare ab hostibus.

¹ Prologus erit OCTAVIUS.

Italae gentes enarrabunt saecula,
 Divino possent quid innixae Numine!
 A Roma quibus repulsavit Barbaris
 Aperiat sedem sua terra Africa,
 Ibique aeterne collocent tentoria,
 Suis dum moribus mitescant pectora,
 Et toti dedant Christo se discipulos ...
 Frustra! Latrones erant, sunt in saecula!
 Suum sed Leo passus infortunium;
 Eum nam voces decerpserunt perfidae,
 Et vix ab hostis abfuit periculis.
 Sic usque gessit se viorum pravitas!
 Et urbem multis sunt adgressi studiis
 Occultis artibus, dolis et fallaciis.
 In omnem coetum pervaserunt rapidi;
 In ofiicinis, stativis militum,
 Omnes in omnibus versantur aedibus;
 Agunt in ipsis Romanos sedulo.
 Leo sed Italus vulpes deterruit.
 Ita se mille cumulavit meritis,
 Modis, quos narrat lepidis Volterius,
 Quem supra dixi, vafer ille Gallicus,
 Foedavit turpiter semper qui Pontifices.
 Suis sic oculis splenduit veritas!
 En ita habetis argumentum fabulae,
 Vestris committo quam vacivis auribus.

ACTUS I.**SCENA I.**

Scena est ad Tyberim. Hinc inde complures cymbae piscatoriae, et longe moenia recentia, quae ad Urbem a Barbaris defendendam adsurgunt. Novae aedes pauperiores cernuntur. Magnum noctis silentium. TRES MILITES, qui vigilant ad flumen, haec inter se colloquuntur:

I. Nunc crede, possumus tuto conquie*scere,*
 Ut Romani dicunt, in utrumque oculum.
 (Ad proximum rumerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.